

93. Objic. 1.^o Angeli inferiores possunt superiores intuitive videre. Atqui tamen illi non attingunt horum essendi modum; ergo et poterunt intueri Deum.

Resp. Dist. *min.* Non attingunt essendi modum, secundum compositionem actus et potentiae illis naturalem; nego *min.* Secundum eandem actus perfectionem; conc. Nullus sane Angelus est actus purus, ideoque non invenitur supra intuitionem, quae fieri debet cum aliqua compositione et sub aliqua potentialitate.

Objic. 2.^o Quo perfectior est res, eo et intelligibilior erit: ergo non recte infertur, Deum esse invisibilem naturaliter, quia est actus purus.

Resp. Dist. *ant.* Intelligibilior erit absolute; concedo. Respectu ad quemlibet intelligendi modum; nego. Pariter distinguas consequens.

94. **Corollarium.** Deum oculis corporeis videri non posse, saltem naturaliter, ex dictis patet. Proprie enim sub nomine visionis, etiam corporea significatur: ergo et ista proprie et litteraliter excluditur, cum Deus invisibilis praedicatur. Deinde major est in facultatibus sentiendi potentialitas, quam in potentia intellectiva; ergo major in illis est improportio ad Deum videndum.

Utrum repugnet absolute Deum oculis videri corporalibus, ita ut neque possint per divinam potentiam ad id elevari, non est una Auctorum sententia. Alii cum Scoto, concedunt id fieri posse; alii cum Suarezio, negant; alii dicunt non satis patere, et dubitanter loquuntur.

Censemus autem repugnare Dei corpoream visionem.

Nihil potest ita elevari ut ad altiorem spectet speciem: sed si potentia corporis visiva ad Deum videndum elevaretur, fieret superioris speciei; ergo istud nullo modo fieri potest. *Major* facile patet: quod enim fit alterius speciei non elevatur, sed destruitur. *Min.* autem probr. Deus est supra objectum formale visivae potentiae corporis: atqui potentia, quae elevatur extra et supra suum formale objectum, fit superioris speciei; ergo evaderet alterius speciei si potentia corporea Deum videret (1).

Maj. patet: quia in Deo non est ratio colorati, sed simplicissimae et summae veritatis tantum. *Min.* etiam; quia species potentiarum differunt secundum earum formalia objecta.

95. Objic. 1.^o Job dixit (2): *In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt.*

(1) V. prop. XXI inter Rosminianas a Leone XIII damnatas.—(2) XIX, 26.

Resp. Dist. seu explico. Videbit oculis mentis; conc.: Corporis; subd. Deum salvatorem, secundum humanitatem; conc. Quoad divinitatem; nego.

Inst. Ipse Job dicebat (1): *Nunc autem oculus meus videt te.*

Resp. Explico: significando magnam mentis claritatem abstractivam; conc. Quasi Deum oculo videret corporeo; nego vel subd. immediate; nego: mediate *in imagine*, uti saepe viderunt prophetae et patriarchae; conc.

Objic. 2. Per potentiam obedientialem potest creatura elevari ad quemlibet effectum producendum vel suscipiendum; ergo per visivam corporis potentiam produci et suscipi potest visio Dei; ergo videri potest oculis corporeis.

Respondeo, permissio *antecedente et consequente* primo, nego ultimam consequentiam. Non enim sufficit productio et susceptio visionis ad videndum: aliter posses eodem probare argumento, quod lapis possit videre Deum et fieri beatus. Requiritur praeterea, ut objectum visionis contineatur sub formali ratione objectiva potentiae elevatae. Hinc videmus in ordine supernaturali non elevari intellectum nisi ad id quod est sub ratione veri, et voluntatem ad id quod habet rationem boni.

THESIS XVII.

Intellectus creatus supernaturaliter adjutus potest intuitive Deum videre.

96. Prob. 1.^o Ex Conc. Flor. et Bulla Eugenii IV, *Laetentur*, pro unione Graecorum. Praeiverat Benedictus XII, constit. *Benedictus Deus*. «Auctoritate Apostolica definimus, quod »animae Sanctorum omnium... sanctorum Angelorum consortio »aggregatae, post D. N. Jesu Christi passionem et mortem, viderunt »et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, »nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente.»

2.^o Ex SS. Litteris: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris, qui in coelis est* (2). *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem* (3). *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (4).

97. 3.^o Ex SS. Patribus vide supra, (Thes. XV) Augustinum. Clemens etiam Alex. (5): «Qui sunt mundo corde »Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.» Epiphanius (6): «Naturâ igitur Deus invisibilis est, et ejus

(1) XLII, 5. — (2) Matth. XVIII, 10. — (3) I Cor. XIII, 12. — (4) I Joan. III, 2.—(5) 5, *Strom.*—(6) *Haeres.* 70.

»comprehendi non potest gloria; verum cum producto a se homini »apparere voluerit, nihil ejus voluntati refragatur.» Hieronymus (1): «Nisi ipse dignatus fuerit se homini revelare; quis est »qui posset eum suis viribus intueri, vel perscrutando ad majestatem ejus accedere?»

98. 4.º Promisit Deus nobis omne bonum, et desiderii satieta-tem: sed viso effectu, desiderat homo naturaliter videre causam; ergo hoc nobis praebebit Deus ut eum videamus.

Subsumo: Atqui naturaliter videri nequit Deus; ergo videri potest ac videbitur supernaturaliter.

Major prob. ex Apostolo: *Nec in cor hominis ascendit, quae prae- paravit Deus iis qui diligunt illum* (2); majora, scilicet, parata sunt a Deo, quam quae possit homo desiderare.

Min. etiam prob. Dum causa, effectu viso, non videtur, primaria veritas velata apparet; id est, cognoscit mens se multum deficere a formali sua ratione objectiva: sed naturaliter desiderat homo totam suae formalis rationis objectivae assecutionem; ergo viso effectu, desiderat naturaliter et videre causam.

99. Objic. 1.º Videre Deum non est viribus naturalibus propor- tionatum: atqui non potest naturaliter desiderari quod naturae non est proportionatum; ergo non inest nobis desiderium naturale Deum videndi.

Resp. Dist. *min.* Desiderari absoluto desiderio, conc. Conditionato; nego. Nam potest naturaliter desiderari cognitio quae formalem rationem intellectus, *verum*, nempe, non superat: visio autem Dei, *si mens ad illam elevetur*, sub illa ratione veri elicitor, licet connaturalem intelligendi modum superet.

Instabis. Deducitur possibilitas visionis Dei ex desiderio condi- tionato ejusdem. Sed desiderium conditionatum supponit elevatio- nem ad Deum videndum; ergo deductio possibilitatis videndi Deum supponit ipsam possibilitatem.

Resp. Dist. *min.* Supponit elevationem ut explicite cognitam; nego *min.* ut implicite cognitam in elevatione ad finem supernaturalem; conc.

Nempe, cum cognoscamus elevationem ad finem supernatura- lem; finis autem supernaturalis adjuvante Dei virtute, non autem connaturaliter, sit assequendus; repugnantia vero visionis intuitivae, ex connaturali modo cognoscendi creaturarum solum proce- dat; hinc, ad desiderium videndi Deum tamquam finem elevationi supernaturali congruum ferimur. Ex tali autem communi deside- rio, probabile et congruum argumentum possibilitatis videndi

(1) *In Job* c. XXXIV, 29.—(2) *I Cor.* II, 9.

Deum cum D. Thoma sumimus, quamvis alii ejusdem disci- puli hac in re eum deserant.

100. Objic. 2.º Visio Dei est supra vires omnes creatas. Sed quaecumque elevatio, etiam supernaturalis, non nisi per creatas vires perfici potest: ergo neque supernaturaliter Deus videri potest.

Resp. Dist. *maj.* Viros omnes superat creatas agentes ad mo- dum, seu tamquam instrumentum, naturae creatae; conc. Agentes tamquam divinae potentiae instrumentum; nego.

Intellectus enim creatus ad Deum videndum elevatus, cum non agat connaturaliter, sed *obedientialiter*, non agit et intelligit *ad modum suum*; sed ad divinae virtutis modum, qua confortatur, elevatur et illuminatur, tum supernaturali lumine gloriae, tum supernaturali concursu Dei.

SCHOLIA.

De natura visionis Dei.

101. *Nota.* Ex praedictis intelligimus, cur *lumen gloriae* ad Dei essentiam videndam necessarium existat. Deus et creatura concurrere ad actum visionis supernaturalis debent; creatura autem suis relicta viribus nequit elicere nisi actum naturalem, proptereaque neque aliam, nisi naturalem, exigit Dei cooperationem; coopera- tur, scilicet, Deus juxta cujusque causae exigentiam. Debet ergo intellectus creatus principium aliquod suscipere intellectivum, quo ad intellectionem supernaturalem disponatur, et supernaturalem quoque Dei exigit cooperationem. Hoc autem principium dicitur *Lumen Gloriae*, quia sub tali lumine Deus manifestatur et mens glorificatur.

§ I.

De virtute proxima visionis Dei.

102. Non levis est inter Auctores dissensio circa intellectus in visionem Dei concursum. Utrum nempe, tota virtus *intellectiva*, seu, principium *quo*, visionem producat, sit *lumen gloriae*; intel- lectus autem agat tantum *mediate*, seu, ut principium *quod*? Quae quidem quaestio est transcendentalis, attingens vitales omnes ac- tus ordinis supernaturalis, puta, charitatis, contritionis, fidei, etc.

Pro affirmativa stant plures post Sotum: pro negativa, nempe; non esse lumen gloriae (et generatim habitum supernaturalem) to- tam agendi *virtutem*, sed influere immediate etiam virtutem intel- lectus, (vel voluntatis, pro diversa ratione actus) militant commu- niter Auctores Societatis, et alii D. Thomae discipuli.

103. Dico I. *Habitus infusus* (sive lumen gloriae, sive alius quivis habitus) non est tota virtus supernaturalis actus, sed cooperatur etiam ut principium quo seu ut virtus, naturalis potentia.

Prob. 1.° Pelagius, ex proprio errore, docebat, totam virtutem immediate activam ad merendum, esse solam naturam; coactus autem a Palaestina Synodo confessus est: «Hominem proprio labore et »Dei gratia posse in salutem moveri.» Jam vero hoc approbavit Concilium; probavit et Augustinus: «Si hoc velit Pelagius, »nihil inter nos controversiae relinquetur» (1). Atqui Pelagius in ea confessione concedebat consortium propriae virtutis cum gratia cooperantis: ergo utraque simul operatur: *Min.* patet. Distinguit enim duplicem originem *motus salutaris*; laborem proprium et gratiam, cum prius, soli *proprio labori* meritum tribueret.

Coelestinus I (2): «Agit in nobis (Deus) ut quod vult et velimus et agamus, nec otiosa nobis esse patitur, quae exercenda, »non negligenda, donavit; ut et nos cooperatores simus gratiae »Dei.» Ergo virtus naturalis, sive intellectus sive voluntatis, non est otiosa, sed exercetur. Hoc etiam proprium est cooperantis; virtutem suam virtuti alteris conjungere ad idem opus.

104. 2.° Calvinus et Lutherus nostram thesim, ut doctrinam catholicorum, impugnabant; oppositam uti propriam defendebant. «Papistae aliquid facultatis suppetere nobis somniant, quod per se »quidem non sufficiat, sed Dei gratia adjutum cooperetur... Sed »(Christus) nos penitus privat omni virtute nisi quam suppeditat »ipse nobis» (3). Et iterum ipse Calvinus: «Non hoc quaeritur, »agatne voluntas, quod extra dubium est; sed agatne a se ipsa, »an pro modo divinae actionis.»

Ex his arguimus: Tridentina Syn. damnavit doctrinam Calvini, et oppositam definivit (4). Atqui Calvinus non negabat quod voluntas (vel intellectus) sit principium *quod*, seu remotum; sed quod per suam virtutem simul cum gratia cooperaretur: ergo definivit Tridentinum concursum nostrum cum gratia per modum virtutis, seu principii *quo*.

Confr. Damnavit Tridentinum illam haereticam doctrinam dicens: «Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum »et excitatum nihil cooperari... sed veluti inanime quoddam nihil »omnino agere, mereque passive se habere; anath. sit.» Sed eundem influxum; eandem actionem et efficaciam concedebat Calvinus, quam concedunt isti thomistae; nempe voluntatem esse prin-

(1) De Grat. Christi, c. 47. — (2) Ep. 21 ad Episcos. Galliae. — (3) Calvinus, l. 2, Inst. c. 3. — (4) Sess. 6, c. 5.

cipium *quod*, voluntatem recipere habitum et influxum gratiae quo elevatur ad actum: ergo quod isti thomistae docent non sufficit ad cooperandum gratiae, sed tantum ut mere passive se habeat et inanime quoddam, quemadmodum cum baculus, non sua virtute, sed virtute motoris movetur.

105. 3.° Actus vitalis debet procedere a principio *quo* vitali: Atqui visio Dei est actus vitalis, et lumen gloriae non est principium vitale; non ergo procedit tantum a lumine gloriae, sed etiam a virtute intellectiva, ut principio *quo*.

Maj. patet: nihil enim perfectionis est in actu nisi ex influxu virtutis potentiae, seu principii *quo*; alias quilibet effectus, puta, motus mechanicus, in subjecto vivente esset actus vitalis.

Min. etiam est aperta; quia lumen gloriae, ceterique habitus supernaturales sunt accidentia indebita naturae, ab extrinseco adventitia; ergo non sunt vitalia principia.

4.° D. Thomas nostram aperte tradit doctrinam (1): «Cum »virtus naturalis intellectus non sufficiat ad Dei essentiam videntem; oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi.» Non ergo sola virtus supernaturalis attingit et efficit actum, sed simul naturalis; aliter non deberet haec perfici et crescere. Et iterum (2): «Naturam Angelicam secundum *totam virtutem* »moveri; ideoque Angelos qui meliorem naturam habuerunt, fortius et efficacius ad Deum esse conversos.» Haec clara sunt.

106. Objic. 1.° Juxta SS. Scripturas et Patres nihil nobis tribuere debemus ex ordine gratiae: ergo multo minus ex visione beatifica, quae est gratiae finis et complementum.

Resp. Nihil nobis *solis* tribuere possumus; Conc. Nobis et gratiae simul, nihil tribuere debemus; nego. *Non ego, sed gratia Dei mecum* (3), ut ait Paulus.

Objic. 2.° Actus visionis est totus supernaturalis, non autem ex parte naturalis. Sed virtus intellectus naturalis non continet nisi effectus naturales: ergo nequit intellectus virtute sua naturali ad visionem cooperari.

Resp. Dist. *min.* Virtus intellectus *adaequate*, seu ut causa totalis, non continet nisi naturales effectus; Conc. *min.* *Inadaequate*, seu ut causa partialis non continet... Subd. Si non elevetur virtute supernaturali; conc. Aliter nego. Nam sicut species intellectiva pendet a virtute spiritali intellectus et a phantasmate materiali, licet illa *tota* sit spiritalis; ita actus supernaturalis pendet a virtute supernaturalis habitus, et a naturali virtute intellectus vel voluntatis, licet ille totus sit supernaturalis. Ut enim actus est vitalis (et

(1) I. p. q. 12. a. 5. — (2) I. p. q. 62. a. 6. — (3) I Cor. XV, 10.

totus est), pendet totus a vitali naturalis potentiae virtute: ut autem est supernaturalis, totus a virtute supernaturali procedit.

Objic. 3.^o Lumen gloriae est totalis ratio constituendi intellectum in statu, seu esse supernaturali: sed operari consequitur esse; ergo lumen gloriae est unica agendi ratio, seu virtus.

Resp. Dist. *maj.* Statu supernaturali *praecise* inspecto; conc. Supernaturali et vitali; nego *maj.* Et concessa *minori*, nego *consequentiam*, quae plus patet, quam praemissae.

Objic. 4.^o Ex perfectiori virtute activa, perfectior oritur effectus: ergo ceteris paribus, qui perfectiorem habuerit intellectum, perfectiori gaudebit visione ac beatitudine.

Resp. Dist. *ant.* Oritur perfectior effectus, si virtus operetur conaturaliter, seu, secundum proportionem ad effectum; conc. *ant.* Si operetur virtus obedientialiter, seu ut elevata ad efficiendum per superiorem causam; nego.

Ad agendum enim obedientialiter sub manu Dei quilibet intellectus (et quaevis virtus) est aequae aptus; quemadmodum quaevis virtus naturalis, etiamsi perfectissima, est aequaliter inepta ex se ad effectus supernaturales.

§ II.

De auxilio extrinseco ad Deum videndum.

107. Cum praecedenti connexa est alia non minus inter eosdem Auctores controversa quaestio. Censent cum Bannezio thomistarum plurimi, non tantum esse ex natura rei necessarium lumen gloriae ad Deum videndum, sed etiam non posse Dei Omnipotentiam aliter intellectum elevare ad illam visionem. Quae opinio ex illa necessario fluit, quam supra (§ I, n. 102) rejecimus: nam si virtus naturalis non cooperatur cum supernaturali ad visionem Dei (et ad ceteros supernaturales actus), necessum est aliquam semper praesupponere supernam virtutem in mente vel voluntate inhaerentem, ut actus vitalis concipi, saltem apparenter, possit.

At vero antiqui theologi, qui apud Ripaldam (1) recensentur, aliter sentiebant; et cum illis omnes Societatis Auctores alique etiam ex recentioribus, nec non ex thomistarum schola nonnulli.

108. Dico II. Intellectus (et voluntas respective) potest elevari ad visionem Dei, seu generatim, ad agendum actum supernaturalem, per auxilium ex-

(1) *De ente supern.* disp. 34, Sec. 2 et 3.

trinsecum, id est, non inhaerens potentiae, sed tantum cooperans.

Prob. 1.^o Vel auxilium intrinsecus inhaerens esset necessarium propter actus vitalitatem, vel propter supernaturalitatem. Atqui ex neutro capite: nam concurrente naturali virtute intellectus, quae vitalis est, actus non potest non esse vitalis; et cooperante ac adjuvante ad eundem actum virtute supernaturali, etiamsi non inhaerente, non poterit non esse supernaturalis.

Prob. 2.^o Duobus concurrentibus partialiter ad idem effectum, non requiritur unum inhaerere alteri. Sed lumen gloriae et virtus intellectiva concurrunt ad visionem Dei; ergo per lumen, seu auxilium non inhaerens, id est, extrinsecum, poterit visio fieri. *Majorem* concedunt adversarii, et patet in Dei concursu cum causis secundis, et in motu etiam corporeo.

109. 3.^o D. Thomas ait (1). «Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam.» Sed lumen gloriae (et ceteri supernaturales habitus) est causa creata simul cum intellectu visionem producens, illumque elevans: ergo potest Deus per se ipsum intellectum elevare et cum illo visionem facere.

4.^o Verum, explicite nostram D. Angelicus docet sententiam (2) «Contingit aliquando divina virtute, quod aliqua res miraculose perducitur in aliquid, in quo nullo modo potest per aliquas dispositiones sibi inhaerentes; sicut quod virgo pariat... Et similiter potest miraculose fieri, quod divina virtute aliquis intellectus creatus non habens nisi dispositiones viae elevetur ad videndum Deum per essentiam.»

Pariter alibi (3): «Sicut potest divina omnipotentia aliqua corpora perducere ad effectus, quorum dispositio in praedictis corporibus non invenitur... ita potest mentem ad hoc perducere ut divinae essentiae uniatur in statu viae modo illo quo unitur sibi in patria, sine hoc quod a lumine gloriae perfundatur.»

Ex quibus sic arguimus: quod fit divina virtute per aliquod ens, et fit sine dispositionibus, quae ad id sufficiant, in eodem inhaerentibus, non nisi per auxilium extrinsecum fieri potest. Atqui Dei visio fieri potest divina virtute absque lumine gloriae et quavis dispositione intellectui inhaerente, quae ad illam sufficiat: ergo potest intellectus elevari ad divinam visionem per auxilium extrinsecum.

110. 79. Objic. 1.^o D. Thomas docet (4): «Divina essentia vi-

(1) P. 1, q. 105, a. 2.—(2) 4, Dist. 49, q. 2, a. 7.—(3) Q. 10, de Verit. a. 11.—(4) 2, 2, q. 175, a. 3, ad 2.^m

»deri ab intellectu creato non potest, nisi per lumen gloriae.» Cum haec adeo explicite et absolute tradat in Summa theologica, dicens est S. Doctor retractasse quae prius docuerat. Ita adducta pro nostra thesi testimonia solvenda, putat Capreolus.

Respond. Non quidem repugnat aliquas Angelicum D. retractasse sententias, uti et Augustinus nonnullas humiliter emendavit; reverentia autem tantis debita Doctoribus vetat, ne eos erravisse putemus, nisi ratio perspicua id fateri cogat. Prudentis sane est mutare consilium; tamen naevus ac aliquod imprudentiae genus est errorem admittere et inconsideratus fuisse. Praeterquam quod, si sufficerent objecta a Capreolo verba ut retractasse priorem sententiam D. Thomas dicatur; sequeretur quod in eadem quaestione 10.^a de Veritate et in eodem articulo 11, ubi similia verba leguntur, se retractaverit et contraria docuerit, duas simul docens sententias: quod sane durum nimis, absonumque videtur.

Verba igitur D. Thomae non sunt invicem opposita; quae Capreolus profert respiciunt ad potentiam ordinariam, seu naturalem exigentiam; quae vero nos pro thesi laudavimus referuntur ad potentiam Dei absolutam, seu miraculosum agendi modum, uti indicat explicite ipse sanctus Doctor.

111. Objic. 2.^o Creati intellectus impotentia ad visionem Dei, est insufficientia ad actum vitalem. Atqui insufficientia ad actum vitalem non potest compleri per complementum extrinsecum: ergo opus est auxilio intrinseco, seu inhaerente.

Resp. Dist. *maj.* Insufficientia ad actum vitalem, praecise *quia vitalem*; nego *maj.* Quia *supernaturalem*; conc. *maj.*

Minorem similiter dist. Si insufficientia sit ad actum vitalem qualem; transeat; aliter; nego *min.* Vel etiam nego *minorem absolute*: nam omnipotentia est potentiis vitalibus extrinseca; tamen illas ad actus vitales complet: objectum est facultatibus cognoscitivis extrinsecum; nihilominus ab eo ad cognoscendum complentur.

Objic. 3.^o Actus supernaturalis postulat aliquam in actu primo virtutem, quam non exigit naturalis actus. Sed non ita erit, si ad actum supernaturalem divinae visionis sufficiat *extrinseca* applicatio omnipotentiae ad naturalem intellectus virtutem: ergo virtus extrinseca non sufficit. *Min.* patet. Etenim omnis actus naturalis requirit extrinsecam cooperationem divinae virtutis.

Resp. Dist. *maj.* Postulat *ex natura rei* aliquam virtutem in actu primo; Conc. *maj.* *Essentialiter*; sub. Aliquam virtutem *formalem* vel *virtualem*... Conc. *Formalem* praecise; nego.

Scilicet, postulat actus supernaturalis, ex natura rei, aliquam virtutem supernaturalem inhaerentem potentiae; absolute autem, seu essentialiter, necesse est ut saltem applicetur cum potentia na-

turali omnipotentia Dei, ut est principium donorum supernaturalium; quod non requirit actus naturalis: omnipotentia autem, ut principium supernaturale, *virtualiter* differt ab eadem, quatenus est principium rerum naturalium.

§ III.

De Visione Dei, et intellectuali specie.

112. Superest ut aliquid ex alia non parvi facienda Scholarum lite delibemus, quam diffuse aliqui illustrant Theologi. Utrumnam, scilicet, species aliqua concurrat, vel concurrere possit ad intuitivam Dei visionem. Ejusmodi quaestiones apud antiquos Theologos parum elucidatas ac praecisas reperies; recentiores autem, praesertim ex saeculo decimo sexto et septimo, eas pro utraque parte saepe perpensas et agitatas multum illustraverunt.

Praemittimus I. Cognitionem non fieri sine quadam similitudine formali objecti, per quam cognoscens sibi illud repraesentat, et veluti quodam verbo sibi loquitur. Hanc similitudinem objecti, quae in cognitione exprimitur, vocant Auctores *speciem expressam*, seu verbum; et putant aliqui, cognitionem *formalem* sitam esse in hac specie, seu expressione; alii in *actione*, qua fit ista species, eam reponunt; alii vero in utroque: «Oportet, quod verbum »dicatur ipsa operatio intelligendi, vel ipsa species, quae est similitudo rei intellectae; et sine utroque istorum non potest quis intelligere; utrumque enim istorum est id, quo intelligit formaliter (1);» ait D. Thomas.

II. Munus verbi hujus mentalis diversimode explicant, AA. juxta opinandi varietatem. Nam Bannez et alii, dicunt actum intelligendi terminari ad istud verbum, et in illo tamquam in objecto prius cognito, objectum principale dignosci. Alii vero, cum Suarez, Molina, Vazquez, etc. id prorsus negant, dicentes; intellectionem terminari *immediate* ad objectum principale, et *verbum* istud non aliud esse, quam subjectivam, formalem et immediatam expressionem illius.

III. Igitur, Cajetanus, Gonet et thomistarum plurimi, censent, non posse dari in visione Dei speciem expressam, seu verbum repraesentans ipsum Deum, sed divinam essentiam locum illius habere, ac se ipsam in actu secundo repraesentare. E contra, communis inter AA. Soc. Jesu cum Suarez sententia, quam sequuntur etiam ex Thomistis Capreolus et Ferrariensis, oppositam defendit doctrinam.

(1) I. Dist. 17, q. 2, a. 2.

THEOL.—Tom. II.

113. Dico III. In visione Dei datur species expressa, seu verbum formale (non objectivum) creatum, repraesentans Deum.

Prob. 1.^o In visione Dei datur similitudo formalis inferior et distincta a Deo. Sed haec est species expressa, seu verbum: ergo, in Dei visione fit species expressa.

Maj. ex Augustino patet (1): «Cum Deum novimus... verbum est, fitque aliqua Dei similitudo illa notitia: tamen inferior est, quia in inferiori natura est.» Quod quidem exemplo declarat: «Quemadmodum cum per sensum corporis discimus corpora, fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quae phantasia memoriae est... ita cum Deum novimus...»

2.^o Impossibile est intelligere absque specie expressa, seu verbo. Sed in Dei visione intellectio est: ergo et verbum.

Maj. ex D. Thoma constat, qui post verba laudata in Praemit. 1.^o ait: «Et ideo impossibile est, quod accipiendo hoc modo verbum, aliquis intelligat nisi verbo intellectus sui.» Et ex August. (2). «Formata cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus.»

3.^o Intelligere est objecti repraesentatio in intellectu, et tantum intelligimus, quantum repraesentatur: ergo si fieret ista repraesentatio formaliter per ipsam essentiam divinam, intelligeremus infinite, et infinita, et quantum Deus intelligit: quod est falsum et absurdum.

Confirm. 1. Visio beata est essentialiter vera: sed non esset talis nisi esset repraesentatio formalis: ergo. *Min.* patet: veritas enim consistit in eo quod objectum tale sit quale per actum repraesentatur.

Confirm. 2, evertendo rationem adversariorum. Non solum est Deus per essentiam suam summe repraesentabilis, sed etiam summe intelligibilis: sed hoc non obstat quominus intelligatur Deus per intellectionem creatam in actu secundo; ergo neque illud impedit quod repraesentetur per repraesentationem creatam.

114. Objic. 1.^o Deus est actus purus: sed omne creatum est mixtum imperfectionibus; ergo nequit dari repraesentatio creata Dei.

Resp. Dist. *consequens*. Repraesentatio objectiva, in qua Deus videatur ut in se est, dari non potest; conc. Formalis seu intentionalis; nego.

Non enim opus est ut quaevis similitudo sit ejusdem perfectionis cum objecto. Lumen gloriae, ait D. Thomas, est «similitudo

(1) *De Trinit.* l. 9, c. 11.—(2) *Ibid.* l. 15, c. 10.

activa Dei,» (1) et, tamen licet creatum, sufficit ut per ipsum Deus videatur; similitudo formalis et intentionalis substantiae sufficit ad istam intelligendam, etiamsi accidens sit, non autem substantia.

Objic. 2.^o Deus est summe repraesentabilis per se ipsum: ergo non opus est ut per speciem expressam repraesentetur.

Resp. Conc. *Ant.* et nego *conseq.* Non enim datur haec formalis repraesentatio propter imperfectionem vel indigentiam objecti; sed propter naturam intellectionis, quae in se tanto perfectius exprimit objectum, quanto melius illud attingit.

Objic. 3.^o Ideo efficitur verbum mentale, ut objectum fiat menti praesens: sed Deus est per essentiam praesens videntibus illum; ergo inutilis est participata praesentia.

Resp. dist. *maj.* Ut fiat praesens objective; nego *maj.* Ut evadat praesens formaliter, seu intentionaliter; conc.

§. IV.

De specie impressa ad visionem Dei.

115. Ad Dei intuitivam visionem spectat etiam alia quaestio, nempe; utrum concurret species impressa creata.

Nota I. Ut quid ista sit species recordemur, scire oportet, cognitionem, sive abstractivam, sive intuitivam, a duplici procedere cooperante principio, secundum illud Augustini effatum: «Li-»quido tenendum est, quod omnis res quamcumque cognoscimus, »congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente et cognito» (2). Duplex ergo virtus notitiam quamlibet praecedat: alia ex parte cognoscentis, quae dicitur potentia, seu lumen intellectivum; et alia loco objecti, quae dicitur species impressa, quia non exprimitur cognoscendo, ut species expressa, sed potentiae ut cognoscat adjungitur seu imprimitur.

Nota II. Durandus, Cajetanus et communiter Thomistae, ac plures à Soc. J. defendunt impossibilem esse speciem impressam ad Deum videndum. Contra, esse possibilem docuit Aureolus, Scotus, Suarez, Vazquez, (qui opinionem esse satis in Scholis communem asserit) Molina, Valentia, Arriaga, etc. De mente autem D. Thomae, non parum disputatur: Suarez concedit eum prioris esse sententiae: Vazquez autem multis probat rationibus, non negasse sanctum Doctorem speciem impressam, sed speciem formalem objectivam, in qua possit Deus vi-

(1) P. 1, q. 12, a. 2.—(2) *De Trinit.* l. 9, c. 12.

deri; idque confirmat suffragio suo doctissimus ac percelebris Franciscus Victoria dominicanus.

116. Dico IV. Possibilis est species impressa Dei, licet, de facto, probabilius non infundatur ad Deum videndum.

I.^a Pars prob. 1.^o Potest dari species Dei expressa; ergo et impressa. Consequentia videtur aperta: nam cum non aliud sit species impressa, quam virtus seu actus primus expressae, non potest repugnare similitudo virtualis, si actualis non repugnat. Non enim potest repugnare ratione *similitudinis*, nam de facto haec datur in specie expressa; neque ex parte efficientiae, seu virtutis; nam est quid finitum et accidentale sicut species expressa; ergo potest dari virtus finita eidem proportionata.

2.^o Ideo repugnaret species impressa, quia deberet esse ejusdem puritatis seu immaterialitatis cum Deo. Atqui non ita est: ergo non repugnat.

Prob. *min.* a) Visio ipsa Dei non est ejusdem immaterialitatis cum Deo: ergo neque virtus, seu species, visionem determinans debet talis esse puritatis.

b) Lumen gloriae praestat ad Deum videndum, id quod praestet species, si daretur: atqui lumen gloriae non est ejusdem cum Deo immaterialitatis; ergo neque species esse talis oportet.

Maj. ex D. Thoma (1) constat: «Lumen gloriae ab ea (essentia divina) in intellectum descendens, facit hoc respectu divinae essentiae in intellectu, quod facit respectu aliorum intelligibilium, quae non sunt lux tantum, species rei intellectae simul et lumen.» Videas quoque responsionem ad quartum argumentum (ibidem).

117. Obj. 1.^o Species impressa determinat virtutem cognoscitivam ad tale objectum. Atqui essentia divina non est aliquid determinatum, sed pura lux; ut ait (ibid.) D. Thomas: ergo sufficit lumen gloriae, nec dari potest species.

Resp. Dist. *min.* Non est determinata ad modum limitationis; concedo *min.* Ad modum differentiae, seu distinctionis, a rebus omnibus; nego *min.* Deinde, dist. *consequens*: nec potest dari species, si lumen gloriae se habet solum ex parte potentiae eam confortando; nego *consequentiam*; si etiam *determinat* lumen gloriae potentiam ad Deum videndum, subdist. Nec dari potest species, quae sit distincta a lumine gloriae; conc. *consequentiam*; quae identificetur cum lumine; nego non posse dari.

Etenim veram speciei impressae rationem haberi in lumine gloriae, videtur docere (ibid.) Angelicus Doctor: «Essentia divi-

(1) Quodl. 7, a. 1.

na est pure lux; et ideo non requirit aliam speciem quam ipsum lumen ut videatur. Visibilia non sunt lux tantum; et ideo oportet, ad hoc quod visus *determinetur* ad ea, quod non solum sit ibi lumen, sed etiam species rei visae.» Jam vero si conceptus speciei lumini gloriae convenit, cur non est species dicendum divinae essentiae?

Objic. 2.^o Speciei munus est reddere objectum intelligibile. Atqui Deus est summe intelligibilis; ergo nihil prestat species.

Resp. Dist. *min.* Summe intelligibilis in actu primo; conc. *min.* In actu secundo; nego *min.*

Objic. 3.^o Species est medium *quo* videndi. Sed D. Thomas docet, non posse Deum videri per medium *quo*. Ergo neque per speciem.

Resp. Dist. *maj.* Est medium *quo* virtuale vel formale vel objective; conc. *maj.* Objective tantum; nego *maj.*

Ad *min.* dico; negare D. Thomam medium *quo* objective, non vero virtuale vel formale.

Inst. Visus, ut censet D. Thomas, non fertur ad medium *quo*, seu speciem, tamquam in visibile, sed per illud fertur *ad unum visibile* quod est extra oculum (1). Ergo dum negat ad Deum videndum dari speciem, non agit de medio *quo* objective, sed virtuali et formali.

Resp. Dist. *consequens*. Non agit de medio *quo* objective, quod videatur veluti res per quam deveniatur ad aliam; conc. *consequentiam*. Quod videatur praecise ut repraesentans; nego *consequentiam*.

Scilicet negat D. Thomas speciem, seu medium *quo*, se habens ad intellectum tamquam similitudo illi divinam essentiam repraesentans. «Impossibile est, ait, in intellectu creato similitudinem divinae essentiae recipi, quae eam perfecte secundum totam suam rationem repraesentet. Unde si per aliquam similitudinem talem essentia divina a nobis videretur; immediate non videremus essentiam divinam, sed quamdam umbram ejus.»

118. II.^a Pars prob.

Ante probationem notandum: juxta aliquos lumen gloriae elevare tantum intellectum ut potentiam, non autem eundem determinare objective. Verum alii AA. censent, et videtur opinio D. Thoma e, lumen gloriae officium gerere speciei, id est, determinare intellectum *ad tale objectum*, nempe divinam essentiam. Intendimus ergo in hac II.^a parte speciem impressam negare, quae sit a lumine gloriae distincta.

(1) Quodl. 7, a. 1.